Joseph Archintus Dei et Aplicæ sedis gratia Archiepiscopus Thessalonicen. SSmi D.N.D. Innocentij Diuina Prouidentia Papæ XIJ. et S. sedis Aplicæ in his Hispaniarum Regnis cum facultate Legati à Latere Nuncius, Iuriumq. Reu. Cameræ Aplicæ Collector Generalis: Discreto Viro Officiali Vallisoletan. salutem in Dño. Exponi Nobis fecit dilectus Nobis in Christo D. Joseph Gonzalez de Cartes incola oppidi de Villarcayo, quod cum dilectus etiam Nobis in Christo D. Gabriel Gonzalez de Cartes in Vniuersitate Vallisoletan. Litterarum studijs operam nauaret, Religiosorum Societatis Jesu persuasionibus et blandimentis potius quam Religionis ductus, quippe cum ætatem ad mature deliberandum necessariam non attingat, eandem Societatem Jesu ingressus fuit, et ad Collegium oppidi de Villagarzia se transferri permisit: Quocirca cum ipsius Exponentis plurimum intersit dicti eius filij animum et intentionem explorari, Idcirco Nobis humiliter supplicari fecit idem Exponens, quatenus sibi in præmissis opportune prouidere de benignitate Aplica dignaremur. Nos igitur dictum Exponentem gratiæ fauore prosequi volentes, et à quibusuis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, alijsq. Ecclicis sententijs, censuris et pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac sufficienti ad id facultate muniti, Considerantes æquum non esse, ut quemadmodum Sancta desideria adolescentium vel voluntates ad habitum suscipiendum et vota emittenda impediri Sacris Canonibus prohibetur, sic nec per fraudem, dolum, aut suggestionem, ad ingrediendam quamcumque Religionem, et suscipiendum in ea habitum, vel ad emittendam professionem emendicari aut nec extorqueri debeant; Discretioni tuæ per præsentes committimus, et mandamus, quatenus dictum Gabrielem tibi de cuius fide, et integritate fiduciam in his gerimus plenariam seu persona etiam fide, et integritate prædita per te eligenda et deputanda consignari, et exhiberi, ac in loco tuto, et honesto, atque pro tempore tibi beneuiso depositari auctoritate Aplica facias, ibique eius animum, et intentionem, et an coactus aut seductus fuerit, et an sciat quid agat diligenter explores, seu explorari facias, ac si eius voluntas pia et libera fuerit, illum ad Collegium dictæ Societatis Jesu, sin vero minus ad ipsius Exponentis domum liberum remittas: Nos enim ad effectum præmissorum quos, quibus, et quoties opus fuerit, citandi, et inhibendi ac contradictores, inobedientes, et rebelles per Censuras Ecclicas, earumq. aggrauationem, et reaggrauationem, legitimis desuper habendis seruatis processibus, procedendi, Cæteraque alia in præmissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, et exequendi Licentiam et facultatem auctoritate Aplica tenore præsentium tibi concedimus, et impertimur. Contrarijs non obstantibus quibuscumq. Volumus autem ac in virtute Sanctæ obedientiæ et sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna districte præcipiendo mandamus omnibus, et singulis dicti Gabrielis consanguineis et affinibus, alijsq. personis, ne tempore explorationis huiusmodi durante eiusdem Gabrielis voluntatem et animum directe vel indirecte per se, vel alium, seu alios malitiose peruertere audeant seu præsumant, aut eorum aliquis audeat, seu præsumat, et ne Superiores, et Patres dictæ Societatis Jesu post notificationem, et intimationem præsentium professionem ab eo recipere præsumant. Dat. Matriti Toletan. Diœc. Anno Dñi M.D.C.XCV. Septimo Kalendas Iunij Pontificatus SSmi Dñi Nri Nri Papæ Anno Quinto

Joseph Archiep. Thessalonicensis Nuncius Aplicus

G. Salamannus Abbr. Aplic. Reg.

Visto Vallisoletan. seu N. Lic. explorandi voluntatem. N. 66.

Perg. 70

R.a L.o p.o Brevium f. 236 anni 1596